



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)



PRÆFATIO.

Nondum fenefcebat Lutheri Secta, & jamjam exinde tota Germania, pluraque alia Regna graviffimis ubique malis, ac calamitatibus inundabantur: nil nifi bella & feditiones, fraudes ac doli, rapinæ, ac effrænis morum licentia, aufusque facrilegi audiebantur, adeo, ut ipfemet Carolus V. Wornatizæ in publicis Imperii Comitibus Anno 1521. habitis in fuo edicto afferere haud dubitaret, quod *Martinus Lutherus erroribus & hærefibus ab orthodoxa fide longe alienis Religionem Christianam præfertim in inclyta Germanica Natione ita inficere conetur, ut nifi mature occurratur, tota hæc Natio & deinde serpente contagione univerfa Christiana Respublica in abominandum schisma, & bonorum morum, pacisque, ac tandem detestandam fui perniciem prolapsura videatur.* Id ip-
a 2 fum

sum quoque jam dudum Jacobus Laingæus Scotus Sorbonicus Doctor (a) non tam verbis descripsit, quam lacrimis deploravit: *Quis, inquit, cladem illius pestiferi belli, quis funera fando explicet? Aut possit lacrimis æquare dolores? hic urbem contra urbem, & pagum contra pagum, civem contra civem, & quod gravius est, fratrem contra fratrem, imo filium, (horresco referens) contra Patrem crudeliter, & immisericorditer pugnantem vidisses.*

Hanc vero malorum congeriem idem invictissimus Cæsar Carolus velut in compendium redactam his verbis enarrat (b): *Martinus homo usque adeo novarum verum ac potius perditionis humanæ cupidus, ut nihil fere scripserit, vel saltem suo nomine divulgaverit, cui non aliqua pestis, aliquis lethalis insit aculeus: præter illos libros, ne nominandos quidem, ob execrandam eorum materiam, ipsius tamen titulo editos, & ab eo cum reliquis ut suos agnitos, quorum singula verba, singula venena merito quis dicat. Et ne omnia, quæ innumerabilia sunt Lutheri errata, singulatim percenseantur, tanquam si hic unus, non homo, sed diabolus ipse, sub hominis specie, ad perniciem humani generis, assumpta Monachi cuculla, quam plurimorum Hæreticorum damnatissimas hæreses, jam diu sepultas, in unam sententiam*
con-

(a) In vita Andreæ Carlostadii edit, an. 1581.

(b) Loc. cit.

congesserit, & aliquas etiam novissime de suo excogitaverit, sub simulata prædicatione fidei, quam ad prætexendos suos dolos, tam sæpe, tantoque opere objicit: fidem veram prorsus destruit, sub libertatis, quam promittit, specie, diaboli jugum & servitutem inducit, & sub Evangelicæ professionis nomine, omnem Evangelicam pacem & charitatem, omnemque rerum ordinem, & pulcherrimam denique totius Ecclesiæ faciem invertere, labefactare, & penitus pessumdare molitur.

Hæc autem mala tanquam ex primo fonte scaturiebant ex Lutheri petulantia, qua supremam Romanorum Pontificum auctoritatem ac jurisdictionem abolere conatus est; cum enim inter ceteras artes, & fraudes ad conciliandum sibi Principum favorem ac præsidium necnon ad introducendos & propugnandos errores nullum aptius æque ac efficacius medium fore censeret, quam si depressa supremi in sacris Capitibus auctoritate Principibus profanis fallaci submissione & subdolis adulationibus, singularem, sæculique palato captiose attemperatam regiminis prærogativam adstrueret, hinc Principibus, qui ejus castra sequerentur, nullis limitibus circumscriptam, ac nemini in quacunque re nisi soli Deo subiectam potestatem in omnes cujuscunque conditionis homines, cunctaque subditorum bona tam sacra quam profana attri-

buit. Hæc commoda, hancque regiminis prærogativam, jactitabat Lutherus (c) Principes unice meæ debent doctrinæ, quæ illos ad supremum auctoritatis gradum evehit,

(c) Tom. 4. Jen. Germ. fol. 819. Wohlau, wo ein Dank um die verfluchte schändliche Welt zu verdienen wäre, und ich D. Martin Luther sonst nichts Gutes gelehrt, noch gethan hätte, denn daß ich das weltliche Regiment der Obrigkeit so erleuchtet, und gezieret habe, so solten sie doch dieses einzigen Stückes halber mir danken, und günstig seyn: weil sie allesamt, auch meine ärgste Feinde, wohl wissen, daß solcher Verstand von weltlicher Obrigkeit in dem Pabstthume nicht allein unter der Bank gelegen, sondern auch unter aller sinkenden, lausigen Pfaffen, Mönchen, und Bettler Füßen hat müßen sich drücken und treten lassen, denn solchen Ruhm und Ehre hab ich von Gottes Gnaden darvon, es sey dem Teufel, und allen seinen Schuppen lieb, oder leid, daß seit der Apostel Zeit kein Doctor, noch Scribent, kein Theologus, noch Jurist so herrlich und klärtlich die Gewissen der weltlichen Stände bestättiget, das weiß ich fürwahr; dann mich Ambrosius, noch Augustinus, die doch die besten sind in diesem Stück, mir hierin nicht gleich sind, das rühme ich mich Gott zu Lob, und Dank, dem Teufel, und allen meinen Tyrannen, und Feinden zu Leyd, und Verdruß: und weiß, daß solcher Ruhm wahrhafftig, und beyde für Gott, und der Welt muß bekannt seyn, und bleiben, solten sie auch toll thöricht darüber werden.

hit, ac tandem ex manco, & dimidiato, quod Principes Catholici sub Romano Pontifice & Episcopis duntaxat precario obtinent, dominatu ac potestate extrahit. Quamvis vero hæc Lutheri sponsio nil nisi grandiloquas ampullas & sesquipedalia verba complectatur, multoque plus inanis speciei, quam veritatis, plusque clamoris quam lænæ contineat, nilque nisi eumentitum sit expelvi fulgur, nihilominus certum est, quod Protestantes nullo alio fræno & repagulo quam isto efficacius a nostris sacris, & æreditu ad veram Ecclesiam cohibeantur, atque in eorum defectione confirmantur. Ex eo enim, quod Lutheri doctrina non minus, quam Mahometis Secta non modo humana ac profana, sed & sacra divinaque jura absoluto sæcularis potestatis dominio, atque arbitrio attribuat, hinc ex specialĩ quadam nota Sectæ suæ veritatem comprobare jactitant, ex adverso autem Catholicam Religionem, ni falsam, saltem sæculari Majestati supremæ præjudiciosam criminantur, eoquod illius dogmata absolutæ potestatis juribus derogent, eaque immi-
nuant.

Erit igitur operæ pretium, ut quantum ingenii mei vires, ac unius præfationis, temporisque angustia patiuntur, demonstrare aggrediar: I. Quod profanæ ac supremæ potestatis & Jurisdictionis auctoritas & Majestas Catholicæ Religionis dog-

matibus tanquam firmo atque immobili fulcro longe tutius, quam Protestantum doctrinæ innitatur, majoremque exinde splendorem obtineat. II. Quod Lutheri, suorumque dogma de absoluto Majestatis Imperio etiam in sacra Deo & Ecclesiæ sit summopere injuriosum, ac Principum potestati longe perniciosissimum. III. Quod non nisi per impudentissimam calumniam summi Pontifices atque Episcopi accusentur, perinde ac si profanæ Majestatis jura immiuerent, & deprimerent.

Ab ipsis etiam Politicis & Protestantibus receptum esse axioma arbitror, quod suprema Principum Majestas firmæ ac constanti subditorum persuasione de juribus ac potentia summi Imperantis innitatur, quocirca ad dominativam, ut vocant, Principis auctoritatem atque jurisdictionem duo requiruntur; 1. *vires*, 2. *justæ causæ* alios homines adstringendi, suoque imperio per leges & pœnas subjiciendi; cum enim omnes homines natura sint æquales, nullusque alteri sit subditus, præter vim seu alterum subjugandi vires, graves quoque ac legitimæ causæ concurrere debent, ob quas aliquis homo specialiter sibi jus in alios sibi similes arrogare potest, eosque adstringere velit, ut hi potius juxta ejus, quam secundum propriam voluntatem atque arbitrium actiones suas dirigant. Præprimis vero hæ

vires

vires potissimum oriuntur ex eo, quod certa hominum multitudo suam voluntatem ac potentiam ultronee jungant, ac vel vi juramenti, vel pacti ac mutui consensus uni personæ vel Collegio fidem, obedientiam & submissionem devoveant; ex hac igitur conjunctione Princeps, vel Magistratus necessarias acquirit vires auctoritatemque, qua suis subditis supremam curam in conservanda communi salute, tranquillitate ac publica securitate impendere, illis imperare, eosque in obsequio continere, necnon adversus civiles & externos tumultus ac hostes efficacibus mediis tueri possit, ac debeat.

Præterea legitimæ gravesque omnino requiruntur causæ, quæ hominibus persuadeant, quod ejusmodi potenti Viro ac Principi, vel Magistratui non tantum externo, sed etiam interno obsequio, seu *propter conscientiam*, ut inquit Apostolus, suam submissionem exhibere teneantur, ejusque potestatem & imperia tanquam sacra, nec ullo pacto violanda respicere, venerari ac timere adstringantur. Quoniam vero ob humanæ voluntatis mutabilitatem ac depravatæ naturæ pronitatem ad malum, necnon propter immodicum libertatis amorem ægre hominibus firma, constans, ac certa ejusmodi persuasio inhæreat, & facile profanæ ac mere temporalis potestatis imperia ab aliquibus contemni, imo ipsæ
a 5 etiam

etiam civiles pœnæ vel sceleribus occulte perpetratis, vel non raro dolo aut potentiorum vi, favore, ac patrocinio, vel saltem temporali morte eludi possint, proin ipsa hæc Majestas infirmo adhuc atque caduco innitatur fulcro, hinc necesse erat, ut hominibus ejusmodi causæ proponerentur, ex quarum cognitione se firmiter persuasos esse sentiant, quod ejusmodi supremæ Majestati ejusque legibus tanta vis sit indita, ut fidelis harum legum observantia plurimum tam pro præsentis quam futura vita profit, illarum autem transgressio non modo publica, sed etiam occulta noceat, nulla fraude, repugnantia vel humana ope & arbitrio, imo ne ipsa quidem morte eludi valeat: Verbo, ut subditi non tam ex metu civilis pœnæ, quam virtutis amore, & ex fine Salutis suæ æternæ interno etiam obsequio sese subjiciant. Hanc vero vim omnis potestas a Deo data ab ipso supremo Dei dominio ejusque præcepto ac voluntate participat: hæc igitur prima atque efficacissima est causa, quæ hominibus tale obsequium suadet, ac supremam Principum Majestatem firmam reddit: cum autem hanc ipsam causam Christiano populo unice Dei Verbum per Ecclesiam certo & infallibiliter manifestatum proponat, necessario ad talem persuasionem pura, vera, sancta, firma, atque infallibilis Religio requiritur, quæ legitimam hanc causam de
impe-

imperantis jure tanquam immotam agendi normam exponat; sola enim Religio est anima, vinculum, basis & firmamentum omnium Societatum, & absque ea nullum juramentum, pactum, fides aut promissum vel publica securitas conservari potest.

Ast hæc sola est Religio Catholica; quippe in sola illa articulus fidei de suprema atque inviolabili potestate ac Majestate profana infallibilibus sacræ Paginæ testimoniis, & immotis Ecclesiæ universalis traditionibus innixus certo & infallibiliter proponitur, simulque uniformi totius antiquissimæ Ecclesiæ Catholicæ consensu in eodem sensu ac intellectu comprobatur, atque extra omne dubium stabilitur, adeo, ut legitimæ potestatis Jurisdictio eandem immotam firmitatem, atque infallibilem, diuturnamque certitudinem obtineat, quam ipsamet Ecclesia habet, proin sicut illa nec a Catholicis negari, impugnari, in dubium vocari imo nequidem a portis inferi everti potest, ita hæc quoque jurisdictio concuti nequit: paucis dicam, quo certior, firmior, magisque infallibilis est Religio, eo tutius quoque ac firmiter, magisque infallibile est id, quod ei unice innititur, scilicet suprema profanæ potestatis jurisdictio, cujus persuasio ex ipsa divina Fide hauritur, atque ex eadem fide subditorum quisvis se non modo ex jure humano, sed & divino suprema

mæ

mæ potestati obedientiam præstare, indubitanter obstrictum agnoscit. Huc accedit, quod apud Catholicos ex ipso Ecclesiæ Regimine major etiam profanæ potestatis firmitas sequatur, cum illud itidem firmissimum sit, eoquod intimo ac nunquam solubili nexu membra corpori, corpusque membris in uno eodemque fine unitis cohæreant; hæc vero prærogativa unice Ecclesiæ Catholicæ regimini competit, cum illud Monarchicum sit, imo Ecclesiæ veræ status ægre consistere posset, nisi Monarchica esset regiminis norma; cum enim universalis Ecclesia nonnisi unicum efficiat Regnum, civitatem, domum, ac unicum militantem exercitum, unumque ovile ac corpus & sub uniformi fidei norma, sub iisdem omnino legibus ac Sacramentis semper & ubique conjuncta sit, proin omnia hujus corporis membra per eadem media ad eundem finem pertingere debeant, hujus corporis regimen Monarchicum esse oportet. In hoc enim corpore Principes æque ac plebæi, omnisque conditionis homines „ ad con-
„ summationem Sanctorum in ædificatio-
„ nem corporis Christi, in unitatem fidei
„ & agnitionis Filii Dei concurrere debent,
„ ne ultra tanquam parvuli fluctuantes cir-
„ cumferantur omni vento doctrinæ in ne-
„ quitia hominum, in astutia ad circum-
„ ventionem erroris, sed veritatem facien-
„ tes in charitate crescant in illo per om-
„ nia,

„ nia, qui est Caput Christus, ex quo to-
„ tum Corpus compactum & connexum
„ per omnem juncturam subministrationis
„ secundum operationem in mensuram u-
„ niuscujusque membri augmentum cor-
„ poris facit in ædificationem sui in cha-
„ ritate. Ephes. c. 4. v. 12. & seq. Exinde
vero sequitur, quod ejus fidei confessio in
omnibus credentibus uniformis ac com-
munis esse debeat, & quodlibet Ecclesiæ
membrum se obstrictum agnoscat, ut om-
nia credenda semper credat, eoquod Ec-
clesia sit una, fides quoque sit una, om-
nesque fidei articuli inter se tanquam cu-
jusdam catennæ annulli cohæreant, ita,
ut si quis unicum dissolvat, totam conne-
xionem dirumpat; sequitur etiam, quod
omnia membra, omnesque status atque
officia in una Ecclesiæ auctoritate tan-
quam in centro ac puncto indivisibili per
uniformem submissionem conveniant. Hinc
quamdiu Ecclesia supremam suam in Sa-
cris potestatem conservat, tamdiu ipsa
Religio tuta manet, omnesque articuli
inter se immoto vinculo cohærent, defi-
ciente vero hac Ecclesiæ auctoritate nul-
lus fidei articulus, imo ne ille quidem
de obedientia supremo Principi præstan-
da (d) satis præmunitus est, sed facile im-
pugnari, in dubium vocari, ac proprii
judicii

(d) Ad Rom. 13. 1. Tim. 2. 1. Petr. cap. 2.

judicii ope abrogari, vel centenis obtentibus, quos variæ proprii quæstus vel affectionum rationes excogitant, everti, ac sinistra interpretatione eludi poterit.

Cum ergo in Protestantum Secta infallibilis, certa, una, conformis, atque immutabilis membra regendi auctoritas desit, Principum quoque ac Magistratum jurisdictio variæ, dubiæ, ac mutabili subditorum voluntati, arbitrio, crisi, & judicio exposita est. Præprimis enim sola vis coactiva, pœnæque metus communiter omnes ad reverendam supremam hanc potestatem circa omnes actus compellere nequit, eoquod illa sæpe dolis, fraudibus, vel potentiorum auctoritate eluditur: interna vero persuasio ac conscientiæ dictamen de potestatis a Deo datæ justitia juxta Protestantes soli scripto Dei Verbo tanquam unicæ credendi Regulæ innititur, cum autem I. Nullus Lutheri vel Calvinii Sectator nullum dogma ex quodam sacri Codicis textu comprobare valeat, quin idem dogma secluso infallibili Judice ac interprete ex alio ejusdem Codicis textu facile everti, atque oppositum evinci valeat, prout ex ipsa hæresum diversitate ad oculum patet (e), ac insuper II. Lu-
thera-

(e) Hanc in rem consule Flacii clavem Scripturæ, Glassii Philologiam, Pfeifferi S. Hermeneuticam & dubia vexat. Script.

theranus &c. ad quemdam articulum fide divina credendum ex sacræ Paginæ textu induci haud velit, nisi ei privatus illius Spiritus, ac judicium dicat, hunc textum ita & non aliter esse intelligendum, ac præterea si præfati textus interpretatio adhuc ipsi obscura, vel dubia videtur, ejusmodi Lutherano integrum sit, omnem huic dogmati fidem abnegare, ac secum statuere, quod Deus verum hujus textus sensum necdum ipsi manifestare velit, proin Ecclesiæ suæ juribus ac privilegiis, quæ ab ipsis *Libertas Christiana* vocantur, licite uti valeat, hæc vero præsumpta libertas, quando de interpretando ejusmodi textu agitur, plerumque illum sensum esse verum suadeat, qui interpretantis inclinationi, commodo, quæstui, desideriis, affectibus, libertati, carni & sanguini magis accommodus censetur, hinc manifeste sequitur, quod ejusmodi Religio & fides non sit certa, uniformis, secura & infallibilis, proin nec ipsamet potestas suprema, quæ eidem innititur, spectata talis Religionis natura sit tuta, ac immobilis, sed semper subditorum judiciis, consiliis ac machinationibus eidem potestati vel maxime nocivis exponatur: vigente igitur libertate, qua quivis Verbi divini textus, quibus suprema Majestas fulcitur, pro suo arbitrio dijudicare, interpretari, detorquere, immutare, suæque crisi subicere permittitur, quanta, quæso, mala ejusmodi
liber-

libertas (quæ tamen unica Lutheranæ Ecclesiæ prærogativa) apud indomitam plebem Aulæque Ministros proprii quæstus & commodi studiosos progerminabit? nonne Anabaptistæ, qui ex Lutheranorum Secta prodierunt, hac libertate usi ex ipsis sacræ Paginæ textibus juxta privatum judicium intellectis supremam Principum ac Magistratum auctoritatem cum majori veritatis specie impugnarunt, quam Lutherani eandem defenderunt? Adeo, ut omnibus manifestum fuerit, quod hic Spiritus privatus omnino fallax, ac sæcundus sit errorum parens, atque automiam inducat, cum vi hujus doctrinæ Lutheri æque ac Calvinii aliorumque Novatorum alumni suos unice proprii judicii ac voluntatis impetus sequantur, nec eorum judicium cuidam Ecclesiæ Corpori vel Societati imo ne ipsi quidem sacræ Scripturæ, nisi eam suo judicio prius comprobaverint, subicere teneantur, eo quod nec ullum hominem, nullam Synodum pro legitimo, certo ac infallibili Judice ac interprete agnoscant, nullumque aliud habeant medium, in quod omnes unanimiter, necessario, ac semper conspiciant, atque ad illud in suis dubiis, vel decisionibus amplectendum in conscientia adstringi possint: proin tam in sacro quam profano statu omnibus erroribus, tumultibus, ac confusionibus janua aperitur, ac supremæ Majestatis jura a cujuslibet arbitrio

trio & iudicio facile infringi, vel omnino everti possunt.

Quod autem ipsæ Novatorum Sectæ subditos eo inducant, ut Principum suorum auctoritatem ac jurisdictionem, legumque vim pro suo arbitrio imminuere, deprimere, ac sensim penitus pessumdare valeant, haud luculentiori demonstrari potest argumento, quam ipsius Protoparentis Lutheri exemplo ac doctrinis; hic enim in libro de captivitate Babylonica suos disertis verbis ita adhortatur: *Nulla est alia remedii spes, nisi revocato libertatis Evangelio, secundum ipsum semel extinctis omnibus hominum legibus, omnia judicemus, & regamus*, & rursus alibi (f) ait: *Inter Christianos nec potest, nec debet esse ulla suprema potestas, sed quilibet simul est alteri subditus, ut ait D. Paulus ad Rom. 13. Omnis anima alterius potestati sit subdita.* Dum autem Lutherus Sueviæ Rusticos ad pacem hortabatur, hæc proferre haud dubitabat: *Suprema potestas non prohibeat, quod quilibet docet, & credit, sive sit Evangelium sive mendacium.* Tædium parerem, si plura (g) iniqua

(f) L. de sæcul. Magist. an. 1523.

(g) Item loco citato Lutherus suos a Principum jurisdictione ac potestate legislativa perverfis hisce doctrinis eximit, dum ait: *Heißt ihr (Fürsten oder Magistrat) mich glauben, oder Bücher von Hist. Eccles. Tom. XXXV.* b mir

iniqua proferrem Lutheri dogmata, quibus supremam potestatem Principibus abnegat. Præterea Magistro suo fideliter accinit Melanchton, qui cap. 3. Epist. ad Rom. inquit: *Si quid Magistratus præcipit contra Jus divinum, ne obtemperes, sed pertinaciter repugnes, uti cum præcipit suscipi bellum adversus Turcas.* En! quam egregie novus hic Evangelii Præco Caroli Cæsaris Turcicum bellum urgentis mandatum sub prætextu Juris Divini eludere suos docuerit. Nonne Zwinglius expl. art. 42. tradidit: *Quando Magistratus perfide, & contra Regulam Christi egerint, possunt unacum Deo deponi.* Et rursus: *Quando consensu totius aut certe potioris partis multitudinis Tyrannus tollitur, Deo sit auspice.* Nonne Calvinus in Jacob. 4. *Totam Dei, inquit, Majestatem ad se rapiunt, qui sibi jus ferendæ leges vindicant, & alibi: Non est mortalis cujusquam*

mir thun, so will ich nicht gehorchen, dann da seyd ihr ein Tyrann, und greiff zu hoch 2c. lib. de captiv. Babil. Die Christen seynd wahrhaftig frey, und von allen Gebotten, und Gesäzen der Menschen eximiert, durch die Christliche Freyheit, so uns im Tauff geschenckt ist worden. Die Christliche Gewissen lassen sich weder mit Gesäzen, noch Gebotten fangen, und zwingen. In formula Missæ: Ich schrey frey tapfer, daß den Christen in keinem Ding könne ein Gesatz gegeben werden, weder von Menschen noch von Englen, denn so fern sie selbst wollen: dann wir seynd von allen Gesäzen frey.

*jusquam condere leges, quæ animas obstringant, nonne idem lib. de necessitate reform. Ecclesiæ p. 58. scribit: Conscientias ab humanis legibus liberas, & solutas esse? Quis igitur firmam dixerit Principum jurisdictionem, quæ cujuslibet Ministelli, imo & infimæ plebis hominum crisi ac judicio ita obnoxia est, ut quodlibet Principis mandatum, si ipsis minus arridet, juri divino sacrisque literis repugnare contendant, hacque ratione subditos a debito obsequio avertant. Hanc in rem legantur Caroli V. Constitutiones, in quibus persæpe queritur, quod Protestantæ illius mandata spreverint, quæsito obtentu, quod ea scripto Dei Verbo adversentur. Quinimo ex hac ipsa repugnantiâ Lutherani propudiosum nomen *Protestantum*, seu in Cæsarem *perduellium* sibi compararunt (h), ita nempe Novatores una manu Principum suorum potestatem elevant, alia deprimunt, quia ex Sectæ suæ genio utrumque eorum arbitrio committitur. Sufficiat nobis in medium proferre verba Jacobi Massenii, qui in libro meditatæ concordiæ part. 3. art. 30. §. 2. pag. 208. & seq. ita effatur: *videant hoc loco omnes Christiani orbis Principes, quæ discrimina universis in quacunque etiam civili Republica Proceribus immineant, dum hac opinione invalescente cuius subditorum fas erit, ad Verbum & Legem Dei suorum**

b 2

suorum

(h) Pallavic. Hist. Conc. Trid. lib. 4. c. 18. §. 4.

suorum expendere mandata Dominorum, & si quidem ipsi, huic esse conformia non sentiunt, tum sibi existiment omne imperium excutiendum, & ut ajunt, magis obediendum Deo, quam hominibus. Nam ut hoc verissimum, ita falsissimum sæpe judicium est, quo ipsi Magistratum suorum imperia cum sacris Literis convenire non autumant. Ergone etiam tum, quando sacris hæc literis saltem adversari non intelligunt, statuere tamen liceat, se in conscientia ad eorum observationem non teneri, æquumque non esse, ut qui in libertatem Filiorum Dei asserti sunt, servi hominum constituentur: Nulla certe gens aut natio tam barbara est reperta hactenus, quæ tantam subditis adversus Dominos libertatem indullerit, quantam novitia hæc temeritas Sectariorum invexit, qui dum unius in Ecclesia Pontificis jurisdictionem non sustinent, omne Principum, & Rerumpublicarum imperium convellunt.

Quis demum Protestantum, aliorumque Novatorum Sectam unicum firmumque supremæ Majestatis fulcrum jactitare præsumat, si mente a partium studio aliena consideret, quod vel sola Lutheri Religio, qua tamen ipsa hæc potestas evehi dicitur, in suis dogmatibus ob commentitiam hanc libertatem adeo incerta, & mutabilis sit, ut inter ipsos Protestantes Theologos æque ac Politicos in materia Religionis tot sententiæ

tentiæ ac Ecclesiæ sint quot capita. Nonne inter illos reperiuntur Pietistæ, Petrofeniani, Philadelphi, Origenistæ, Bekkeriani, Thomasini, Irenici seu Syncretistæ, Rigorosi, Eristici, Anti-irenici, Giessenses, Tugingenses, Rintelenses, Calixtini, Fabriciani, Coccejani, Synergistæ, Speneriani, Schelguigiani, Leibnitiani, pluresque alii? Hæc tamen omnia variorum errorum monstra in sinu suo fovet sola Protestantum Religio. Nonne inter ceteros Gisbertus Cocquius Ultrajectinus asserere ausus est, quod *populus habeat Majestatem realem contra distinctam personali Majestati Imperantis & legibus fundamentalibus contra licentiam Imperantis munitam*, nonne in subsidium hujus erroris advocat auctoritatem Deut. 17. & 18.? Nonne ipse Principum auctoritatem civibus subjicit, inquiens: *Qui gerit personam alterius, ille minor est eo, cujus personam gerit, sed qui summam in civitate potestatem habet, personam gerit totius civitatis, ergo: item ille major est, qui rem facit tanquam Auctor, quam qui eam facit tanquam Actor, sed quæ Imperans in civitate facit ut actor, ea facit civitas ut Author* (i). Cum ergo, verba sunt doctissimi cujusdam Lutherani (k): *Sine persuasione de Deo nulla Societas tuta,*

b 3

nulla

(i) Anatomie Hobbesianismi loc. XVII. cap. 37. de Magistr civil. p. 614. 616.

(k) Disp. 5. de Th. natur. p. 70. & seq.

nulla Respublica firma esse possit Sine Religione nullum sit vinculum & frænum, quo homines ab occultis saltem flagitiis cohiberi valerent, hinc in mundo nullum esset imperandi jus, nulla obediendi obligatio, sed optimus foret, qui vaserrimus, maximus, qui potentissimus, nulloque fræno contineretur subditorum rebellio, ac nemo mortalium vel ad momentum tutus ac securus esse possit. Hinc facile quivis Princeps, cujus auctoritas duntaxat a Religione & subditorum conscientia propugnatur, colligere poterit, quantum securitatis, præsidii ac firmitatis sibi polliceri queat ab ea Religione, ac suorum subditorum conscientia, quæ tam multiplici ac impuni in ipsis fidei rebus diversa sentiendi libertate tantopere depravata est. Nonne suprema etiam Principum Majestas omni ferme momento exitium sibi timere debet ab iis, qui nulla certa Religione, ac infallibili iudice, sed sacris duntaxat adstringuntur literis, quarum tamen textus ex se ambiguos, obscuros, ac non raro æquivocos quivis pro libitu suo, & pro privati quæstus, affectus, vel imaginationis ratione ex ipsius Sectæ suæ privilegio licite interpretari potest: ex hac, inquam, libertate continuum Principibus impendit periculum ac metus, ne ejus subditi ipsum etiam dogma de suprema Principum Majestate juxta perversa eorum consilia sinistra corrumpant interpretatione, ac cujusdam textus perverse intellecti obtentu

tentu freti, seditionem in Principes suos moliantur, eademque libertate, qua supremam sacramque Pontificis auctoritatem in sacris literis adeo clare stabilitam pro suo arbitrio evertere conati sunt, civilem quoque Principum Majestatem opprimere attentent (1), & quamvis non semper ejusmodi mala Principibus immineant, id tamen nullatenus Protestanticæ Sectæ Sanctitati in acceptis referre possunt, sed semper in manifesto metu ac periculo, ne eveniant hæc mala, ob Sectæ hujus genium versari coguntur, cum perniciosæ hujus libertatis dogmate subditorum animi jamjam sint imbuti, ac penitus occupati, eorumque conscientiaæ adeo sint dissolutæ, ut se nulla lege, nullave obligatione adstringi patiantur, nisi id exigat proprii commodi ratio, aut proprii judicii persuasio impellat.

Verum Protestantes forte nobis objicere possent, quod effrænis hæc sentiendi ac judicandi libertas coercita sit per eorum Confessiones, librosque Symbolicos, in quibus

b 4

abun-

(1) Hanc rationem ipse Adrianus VI. Imperii Principibus jam Anno 1522. ob oculos posuit. Vide Hist. Fleury contin. tom. XXXIV. §. 30. fol. 25r. Nonne Protestantes Carolo V. librum offerre præsumebant, in quo palam asseriebant, quod jus gladii nullatenus Principibus Christianis competeret? Vide loc. cit. tom. XXXV. §. 81. fol. 554.

abunde profanæ potestatis securitati confu-
litur. Ast nec in his tutum est Principibus
præsidium, cum Lutheranæ æque ac Cal-
vinisticæ Sectæ nota, lexque fundamenta-
lis sit, quod nihil, nisi in sacris literis clare
contineatur, credere teneantur, ex earum
vero libris ea, quæ suis doctrinis favent,
retinere, cetera tanquam apogrypha ac ho-
minum commenta rejicere, atque ex Ca-
none expungere, reliquos vero libros pro
cujuslibet judicio interpretari, cunctaque
dubia vel controversa dijudicare ac defini-
re ipsimet valeant, nec in his omnibus ul-
lius Ecclesiæ sive propriæ, sive exteræ, si-
ve veteris, sive novæ, sive communis vel
particularis judicio, atque auctoritati stare
teneantur. Nonne ipsimet tradunt, quod
publicæ ipsorum Confessiones, Symbola,
Catechismi, formulæ concordiæ, aliique
Religionis suæ libri non sint *Normæ credendi*,
quibus quivis in conscientia adstringatur,
easque acceptare adstringatur, sed quod ad-
huc privatum cujuslibet examen, discussio,
ac censura ad hoc requiratur, ut ejusmodi
doctrinæ ibidem contentæ satis firmiter ex
S. Literis probari censeantur, utrum inter-
nus legentis Spiritus de iis satis sit convictus,
an allegati textus non in alio sensu intelli-
gunt, vel oppositam interpretationem exi-
gant? in his omnibus, inquiunt ipsi, qui-
libet suus est iudex, arbiter, atque inter-
pres, proin præfati libri Symbolici dunta-
xat,

xat, sunt *Normæ publice docendi*, seu ut ait Confessio Augustana, eo fine editi, *ut eorum, qui apud Protestantes docent, doctrinæ summa cerneretur*. Idem clare testatur celeberrimus quidam Tubingensis Facultatis Doctor, dum ait (m): *Quivis suæ FIDEI PERSONALIS JUDEX est, donec Deus in supremo die ultimum iudicium, idque prorsus decisivum ferat. Hinc Concilia, hinc Consistoria, hinc Facultates Theologicæ, hinc Ecclesiæ particulares fidem quidem HISTORICE, sed non dogmatice determinare possunt.* Ejusdem vero Collega idem adhuc apertius comprobatur his verbis (n): *Quando libri Ecclesiæ nostræ Symbolici norma appellantur purioris doctrinæ, id non debet intelligi de norma ipsius Fidei & Religionis in se consideratæ, sed de NORMA PROFESSIONIS Fidei, seu ut alii loquuntur, ratione TESTIFICATIONIS: Quinimo in ipsa Concordiæ Formula pag. 572. hæc leguntur: Dignitas solis literis debetur, quod scilicet obtineant auctoritatem Judicis, normæ & Regulæ, cetera autem Symbola aliave scripta tantummodo pro Religione nostra testimonium dicunt.* Item (o) *Conciliis decidendi controversias facultas & jus mere historicum est, non Judiciale, nulli & ne toti quidem Concilio cuidam*

b 5

vel

(m) Instit. Theol. P. 3. de Eccles. p. 627.

(n) S. p. Th. pag. 25. & seq. & apud ipsum Leonardus Huterus in Form. Coneord. p. 5.

(o) In orig. Jur. Eccl. l. 4. p. 199.

vel Ecclesiæ jus competit, res fidei ita determinandi, ut ad eandem sententiam alter obstringatur. Cum igitur ex hisce libris rursus nulla fidei certitudo habeatur, sed omnia denuo cujuslibet iudicio & arbitrio relinquuntur, atque in Protestantum nulla certæ *credibilitatis* motiva, nec minime dubia Religionis norma ac Regula, nullumque medium habendi legitimum certumque ac uniformem consensum de divinis veritatibus, nullus infallibilis interpret, ac in rebus fidei iudex habeatur, sed ipsa hujus Sectæ conditio ad communem Septicismum, seu Pyrchonismum inducat, necesse est, ut Religione a deo depravata in subditis nulla fidelitas, nulla juramenti vel pacti fides, nullaque publica securitas conservari possit; proin suprema Principum Majestas, quæ sola Religione fulcitur, in continuo exitii sui periculo versari compellatur; quamprimum enim nulli potestati Ecclesiasticæ quicquam decidere, vel dirigere permittitur, neminem in conscientia ad quicquam credendum vel agendum adstringere valet, proin tota Ecclesia in ochlocratiam degenerat, atque nonnisi ex hominum a legibus solutorum sæce conflata exstat: tunc actum erit de sæculari potestate, atque auctoritate, tunc brevi reviviscent mala ac incommoda Status naturalis, moxque obvia quacunque occasione reliquum etiam hominum ac Principum jugum excutietur. Denique primum
hoc

hoc caput verbis Pallavicini absolvere valeo, qui de Lutheri ausibus differens hæc effatur: *Principes animadverterant, idem esse a Romani Pontificis obedientia se subducere, ac subditis exemplum præbere, quo se pariter ab ipsorum Principum obedientia subducerent: tum ex eo quod cujuscunque Principis auctoritas in profanis haud nitatur validioribus firmamentis diuturnæ possessionis, existimationisque communis, quam Romani Pontificis in rebus sacris. Quare dum alteram ipsi concuterent, docuissent alios de altera dubitare; tum quod ea persuasionem sublata, qua Monarchicum regimen a Christo institutum putatur, cum hoc (saltem inter Ecclesiastica) sit perfectissimum, multo sane fortius Monarchia depellitur a dominatu profano, in quo eam rationes minus validæ suffulciunt.*

Cum autem Protestantes Sectam suam speciali prærogativa ex eo fulgere jactitent, quia hæc eorum Principibus imperium a nemine dependens etiam in rebus sacris adjudicat, hinc (quod alterum hujus discursus caput est) demonstrare aggredior, quod hæc doctrina Deo sit injuriosa, atque Ecclesiæ, necnon ipsimet civili ac supremæ Majestati maxime noxia ac periculosa sit; nihil enim magis Reipublicæ tranquillitati ac Principum securitati perniciosum est, quam in eodem Statu Religionum diversitas, hanc autem ipsa Lutheri ac Calvinii Secta ob concessam sentiendi ac credendi libertatem
intra

intra ipsius hujus Sectæ fines producit, suisque membris late patentem aperit portam, ut circa ipsum fidei articulum de obedientia supremæ Majestati debita, utriusque Religionis Sectatores dogmata ac propositiones Deo summe injurias, & supremæ Principum ac Magistratum potestati periculosissimas, atque ad ipsum etiam Machiavellismum, Indifferentismum & Atheismum proxime inducentes impune in vulgus spargerent: postquam enim apud hosce Novatores velut specialis Sectæ suæ eminentia deprædicari cæperat illimitata Principum ac Magistratum auctoritas, mox ferme innumeri ex eorum Scholis prodire Scriptores, qui ipsam etiam Religionem, imo ipsum etiam Deum liberæ Principum dispositioni subjicerent.

Præprimis igitur percipiamus Houtuy-
ni effata (p). Hic ita statuit: *Princeps sacra regit, uti profana externa: Religionem publicam facit quamlibet. Imperium, jurisdictio omnis & legislatio ad eundem pertinet. Summa potestas non leges tantum proprias, sed & naturales, & Veteris, & novi Testamenti publicas facit, vimque publicam & robur publicum in civitate iis accommodat. Leges divinas tum*
natu-

(p) In Polit. contract. General. §. LXIII. & seq.

naturales, tum positivas interpretatur, & doctrinæ controversias judicat, eodemque judicio suo definitivo fidei articulos determinat &c. (q) Regulæ Christi & Apostolorum in novo Testamento manserunt privatæ, donec ad fidem conversi Principes, eas sibi receperunt, servarique pro legibus voluerunt. Doctrina Christianorum ab Imperantibus adipiscitur publicam auctoritatem. Summi Imperantes Prophetis ipsis divinis tribuunt auctoritatem publicam. Prophetarum, Christi, & Apostolorum Præcepta & Regulæ non ante habuerunt vim obligandi, quam auctoritas Imperantium eandem accommodaret. Pastores & Doctores Ecclesiæ sunt Ministri & Vicarii Principum atque civitatis: eorumque fundio Imperio subjicitur. Ordinatio Ecclesiastica Ministrorum Principibus competit, hique per se ipsos Sacerdotio fungi possent, si vellent. Ecclesia est in persona Principis, per quem etiam totus populus loqui censetur. Principibus summum judicium definitivum circa dogmata Christiana, ipsosque fidei articulos determinandos competit. Quas doctrinæ regulas & fidei articulos servari Principi publice judicio suo interpretativo ac definitivo placuerit, pro talibus publice sunt habendæ, iisque obedientia a singulis debetur. Grotius quoque (r) Infidelibus

(q) In Notis ad Politic. contract. §. LXIII. p. 134. §. 64. 69. p. 185. §. 65. p. 140. §. 70 71.

(r) De Jure sum. Potest. circa Sacra cap. 5. §. 12.

bus etiam Principibus iudicium de rebus & caussis facris tribuit. Egregia sane Lutheranæ Sectæ prærogativa, quæ etiam pari jure Mahometanæ superstitioni competit! Audiamus pariter elegantes prorsus Flosculos, quos Hobbesius ubique in suis libris spargebat (s): *Homines potentia superiores habendi sunt Dei loco, horum leges supra Dei leges sunt, & quicquid est, vel in natura juris, vel in Scripturis mandatorum, subjicitur civili potestati pro arbitrio de his sancienti: Summa totius Religionis est, horum capeffere jura, parere imperio sive in sacris sive in civilibus. Nichil enim injustum a Principe fieri & mandari potest. Imperantium potestas est indefinita, cujus terminus a nemine scitur. Regis mandatum qualescunque subditorum actus indubie justificat: civibus cognitio privata boni & mali, iusti & iniusti nulla competit. Illius est Religio, cujus est Regio. Fides a Principe data non obligat: Ecclesia nulla est, nec legitima, nisi convocata & constituta arbitrio & auctoritate illius, qui summam habet in civitate potestatem. Christi Doctrina est merum consilium, neminem obligans, nisi*

(s) Leviathan c. 10. 14. 42. p. 246. & passim alibi, necnon in suo libro de Cive c. 7. a. 2. cap. 6. a. 13. c. 12. art. 1. 2. c. 14. art. 1. & seq. Vid. Zachariæ Grappii Theol. recens controvers. Frid. Spanheim. Elench. controv. Heideggeri Corpus Doctrinæ Christianæ, Joh. Templer, Idea Theol. Leviath. &c.

nisi per mandata sua Magistratus vim obligandi superaddat. Potest Christianus vel conservandæ vitæ gratia, vel jubente id Principe Christum sine peccato abnegare. Ut sacræ Scripturæ potuerint esse fidei regula, soli fecerunt Reges Christiani. Scripturæ Canonizatio pertinet ad eum, qui summam in civitate potestatem habet: nisi accedat hujus auctoritas, vim legis neutiquam obtinet. His pluribusque aliis Blasphemiis Deo ejusque Legi summopere injuriosis omnes Hobbessii libri scatent. Horreo proferre impias (t) Benedicti Spinossæ propositiones, quas Johannes Wolfgangus Joeger Tubingensis Doctor in suo Spinocismo pag. 16. nimis fideliter excerpfit: referre etiam pudet abominandas Lamberti Velthuysii Ultrajectini aliorumque propositiones. Attamen Protestantes abs dubio, ut hanc a se notam amoliantur, nobis opponent, quod suorum nonnulli hosce errores damnarint, ac ejusmodi Scriptores fuerint detestati, qui, ut inquiunt, potestatem omnem Ecclesiasticam Magistratui vendicant, ac Ministerii libertate oppressa, turribulum in manus Ozicæ tradunt, nullamque Pastoribus potestatem, nisi quæ a Magistratu derivetur, competere censent. Verum quis, quæso, hosce Sacrilegos ad ejusmodi opiniones ac dogmata induxit, nisi vos ipsimet per Sectæ vestræ

(t) Tract. Theologico - Polit.

vestræ principia , ac per defectionem a supremo Ecclesiæ Capite , omniumque controversiarum Judice , quo abnegato unicuique libera manet facultas ea credendi , scribendi , ac docendi , quæ juxta cujusque criterium magis sacræ Paginæ ac rationi consona videntur , nec ultra discrimen est inter quamcunque aliam Sectam , cum una æque vera sit ac altera , nec ulla potius ab alia damnari , ac convinci poterit , quia quælibet æqualia jura , & paria argumenta vero similia , ac prætextus proferre potest. Frustra igitur Protestantes irascuntur Thomæ Erasto , Joanni Seldeno , Hugoni Grotio , Adriano Houtuyno , Libertinis , Colemmanianis , Remonstrantibus in Belgio , necnon Nicolai Vedelii libro de Episcopatu Constantini Magni , atque Ludovici Molinæi Parænesi ad ædificatores Imperii in Imperio ; si enim veræ Sectæ nota est Novatorum dogma de absoluto Principum Imperio etiam in Sacris , tunc Lutherani immerito hosce Viros accusant , quod hi ex Ecclesia spoliū ac ludibriū dominantium faciant , nullamque potestatem Ecclesiæ spiritualem agnoscant ; nam hi omnes æque ac Lutherani jure gloriari poterunt , quod nulla alia Secta magis quam eorum hæresis supremam civilem Principum potestatem evehat , illamque allegatis etiam S. Scripturæ textibus extollat. Luculento igitur argumento demonstratum habetur ,
quod

quod hæc ipsa credendi libertas per ipsum præcipuum Lutheranae ac Calvinistæ Sectæ articulum introducta fæcunda fuerit Mater tam impiarum opinionum ac Blasphemiarum, quas ejusdem filii in summam Dei contumeliam sparserunt: unde non pauci ex ipsis hisce Novatoribus probe agnoverunt, quod eorum Secta ad ipsum etiam Atheismum januam aperiat, eoquod leges in conscientia adstringentes ferendi potestatem abneget, neminem ad certam Religionem obliget, sed duntaxat ad S. Literas remittat, ex quibus tamen cujuslibet arbitrio, interpretationi, ac intellectui relictis maligni ad honestandas quascunque opiniones Deo etiam injuriosissimas facile obtentum invenire possunt. Ad hæc mala Lutheranorum Sectam inducere haud dissimulat Joannes Wolfgangus Joeger Protestantum Doctor, dum ita effatur: *Nobis ea sedet sententia, nostram Ecclesiam non posse, non in pejus abire, & tandem in cætum malignantium degenerare, nisi Disciplina Ecclesiastica serio revocetur, quod tota penitus extincta sit, merito dolemus: quid autem propius ad Atheismum conducit, quam defectus sanctioris disciplinæ in Ecclesia, atque indifferentismus Religionum, ad utrumque autem decantata libertas viam pandit.*

Haud

Hist. Eccles. Tom. XXXV.

e

Haud fatis tamen mirari possumus, quod Protestantes suæ Sectæ doctrinam de suprema Principum potestate tanquam unicum avitæ Imperii formæ ac Regiminis fulcrum deprædicare audeant, dum tamen ex omnibus Historiæ monumentis meridiano sole clarius elucet, quod ante funesta Lutheri aliorumque Novatorum tempora floescente Religione Catholica Principes optata tranquillitate ac regiminis felicitate insignes fuerint, ac primum sparsa horum Sectatorum doctrina quorundam Principum Majestas imminuta, aliorum Solium horrendè concussum, atque ferme omnium Regna, & Imperia innumeris tumultibus fuerint agitata. Quem latere potest, quod Wiclefus Hæresiarcha, postquam Ecclesiasticæ potestatis jugum excusserat, etiam Regum auctoritatem aggressus fuerit, sparso dogmate falso, quod Reges in peccatum prolapsi suam Majestatem amittant? Quam graves tumultus ac bella civilia suis erroribus contra ipsorum Reges Wenceslaum, ac Sigismundum suscitabant Hussus, ac Hieronymus Pragensis Lutheranorum antesignani? Nonne Lutherus, postquam ab Ecclesiæ, Romanique Pontificis obsequio defecerat, profanæ Principum potestati minime pepercit, sed in eos verbis factisque crudelem in modum
insur-

insurrexit, ac inter ceteros Henricum VIII. Angliæ Regem, & Georgium Saxonix Ducem horrendis convitiis ac detestariis proscidit? Quid solemnius erat Spurio huic Evangelistæ, quam suis libris, sermonibus, ac consiliis seditionum femina contra civilem Principum potestatem, eorumque leges disseminare, ac Christianam libertatem adeo nequiter extollere, ut suis persuaderet, quod sese cuiquam subicere non adstringantur, atque eorum conscientix a nemine nisi a solo Deo ligari valeant? Nonne ejus libri hisce aliisque impiis doctrinis ubique scatent, quibus ad horrendam Rusticorum cædem, necnon ad Annabaptistarum, qui Magistratum potestatem evertabant, hæresin prima jecit fundamenta? Quis Anno 1524. Sueviæ Rusticos, ut arma contra suos Principes caperent, Campidonæ impulit, nisi jactata Lutheri libertas; cum enim, inquebant ipsi ex ore Lutheri, a Christo in libertatem simus asserti, atque a lege liberi, haud æquum est, ut ultra sæculari subiciamur potestati, unde ex servitute haud toleranda nosmet ipsos ad Christianæ libertatis statum reducamus. His ita præcinuit Lutherus, quamvis ille versipellis Nequam postea specietenus contra hosce tumultus scriberet, & prædicaret:

caret: (u) Prodiit quoque ex ipsius schola Thomas Münzerus, qui eodem Spiritu animatus ex Thuringia, Suevia, Haffia, Franconia, Alfatia, & Mansfeldia Rusticorum agmina contraxit, eaque ad expellendos suos Principes atque Magistratus induxit, hoc itidem usus Lutheri celeufmate: Redempti estis a Christo, non ergo vos hominum mancipia fieri decet. Hujus doctrinæ venenum sese etiam usque ad Belgii fines extendit, ubi præprimis Anno 1533. Anabaptistæ Monasteriensem civitatem in Westphalia occuparunt, ac Joanne Leidenfi Ductore legitimos Magistratus exauctorarunt, nec non plena libertate populo concessa speciale Regnum erexerunt: inde etiam ortum duxerunt Anabaptistæ in Anglia & Hollandia, quibuscum in Germania inter Lutheranos Separistæ seu Pietistæ tam arctam habent societatem, ut & ipsi omnes hominum leges, ac potestatem rejiciant, rursus Lutheri doctrinam prætexentes, vi cujus se æqualiter omnes fratres in Christo appellant, ac præter Deum haud alium tanquam Legislatorem ac Dominum agnoscunt. Taceo seditiosos tumultus & bella,

(u) Vide Hist. Fleury contin. tom. XXXV, lib. 130. §. 3. p. 4. & 18.

bella, quæ in Imperio contra Cæsarem a Lutheranis pro conservandis Ecclesiæ bonis inique ablatis fuere gesta: audiant tamen ea, quæ ipsis Heideggerus Calvinista hanc in rem objicit: *Lutheranis quibusdam Theologis*, inquit ipse (x), *seditiosi genii nomine nobis insultantibus jure occinimus: parcius ista viris tamen objicienda memento. Non Reformati duntaxat, sed Augustani etiam fuerunt, qui bellum Smalcaldicum ipsius etiam Lutheri suffragio probatum, & Germanicum hujus sæculi, utrumque adversus Cæsares Carolum V, & Ferdinandum II. ac III. gesserunt. Reslitit (Lutherana) urbs Brunsvicensi Duci suo Henrico: Dania Christiernum, Suecia Sigismundum Regem, non Calvinii, credo, genio, veluti criminantur (Lutherani) turbulento Spiritu ad id adacti omnes. Ita nempe tam Lutheranis, quam Calvinistis Væ tibi væ nigræ dicebat cacabus ollæ, cum utriusque Sectæ alumni paribus imbuti dogmatibus in eadem sint damnatione: hinc Lutherani æque ac Calvinistæ merito inter Sectæ suæ miracula recensere possent, si semel fide Deo ac Ecclesiæ abjurata, fidelitatem Principibus suis ex conscientiae legibus servare didicissent. Testis esse debuit Christiana Sueciæ Regina, cui ejus*

c 3

sub-

(x) Corp. Doct. Christ. p. 2. loc. 27. p. 622.

subditi Lutheri veneno infecti ex Catholice fidei odio obtemperare recusantes illam innumeris calamitatibus oppressam e regno excedere compulerunt. Testis est piissimus Imperator Leopoldus, contra quem Lutherani Præcones periculosissimam conflagrantem Seditionem, prout patet ex Processu Juridico Cæsaris jussu Tyrnaviæ typis impresso (y). Testatur Barzonus Varadinensis Episcopus, quod Protestantes contra Cæsaream Majestatem suam in Hungaria Anno 1670. fideles etiam ejusdem subditos ad rebellionem concitarint, ipsumque Turcam in opem accersiverint; hanc ob rem præfatus Episcopus Anno 1671. scriptum edidit, cui titulus: *Veritas toti Mundo declarata, argumento triplici ostendens, S. Cæsaream Majestatem non obligari tolerare in Hungaria Lutheranam & Calvinianam Sectam.* Nonne inter Calvinistas vel Reformatos septem illæ Provinciæ in Hollandia Anno 1568. abjurato Ecclesiæ Romanæ obsequio per civilem rebellionem sese Hispanicæ Monarchiæ subduxerunt, ac

(y) Vide Georg. Heidelberger: Von Verfolgung und Gefängnuß der Predicanten in Ungarn. Item Joan Kraus: Nuzliche Controvers-Predigen, pag. 307. Nicol. Weisling: In der Præfation seiner Dörtur, fol. 221. Num. 8.

ac legitimum Regem suum Philippum diurno admodum bello vexarunt? Nonne in Anglia & quidem Londini Anno 1649. publicum criminale iudicium erigebant, in quo capitis pœna adversus Reges sanciretur. Obluctabatur equidem Rex Carolus Stuart, atque obtendebat supremam suam nemini subjectam Majestatem, sed incassum omnia, hoc ipsum iudicium, quod ex centum quinquaginta Viris, ac inter illos ex non paucis Sutoribus ac Sartoribus erat compositum, Regem suum esse contumacem pronuntiabat, eumque publice in feralli pegmate capite plecti jubebat. Hujus Regicidii præcipuus Author Cromvellus egregie ad honestandum tantum crimen Reformatæ Religionis prætextu utebatur, contendebatque, quod cuncta ex interni Spiritus sui impulsu gessisset, & nihilominus, qui tantum nefas defenderet, non deerat Joannes Miltonus natione Anglus, ac Secta Calvinianus: de hoc tamen flagitii portento Gratianus Lucius Hibernus in suo Cambrensi Everso pag. 265. hæc effatur: *Quam atrocitas ac detestanda nomina mente efformavero, vincit omnia sceleris horrendi atrocitas, ac ne cogitatione quidem capi, nedum oratione satis exprimi potest.* Silentio prætereo funesta admodum fata, quæ Carolus II. & Jacobus II. itidem Angliæ Reges a subditis suis subire coacti fuere. Hinc merito

hanc in rem Jacobus Massenius (z) ita differit: *Unius Angliæ recentem propono imaginem: qui fluctus, quæ procellæ ab hoc Religionis mutatae Oceano ductæ nunc in vulgi, nunc in ipsa Procerum, Regumque capita detonuerunt? Spectaculum sane triste tragicarum omnino cædium illa terrarum florentissima jam a sæculo præbuit, admirandam posteritati in Christiana gente speciem insanæ crudelitatis datura. Hæc vero mala ex ipsis Sectæ visceribus prodiisse ingenue fatetur Alexander Rossæus Puritanus Doctor, ac Natione Anglus (a) dum ait: Quantum nunc, proh dolor! ab illis mutati sumus. . . . Cum Jeremia jure querar, quod decor & pulchritudo filicæ Sion ablata sit. Babylon nova erigitur, plena impietatis, ignorantia, & blasphemiarum. Hi fructus sunt & consequentiæ ex S. Scripturarum lectione per ignorantem, improbosque Spiritus tentata.*

Quid dicam de tumultibus, quos Calvinistæ, Hugonotæ dicti, contra Franciscum II. Carolum IX. Ludovicum XIII. & XIV. suscitaverunt: adeo, ut ab Anno 1560. usque ad Annum 1598. iidem Hæretici Reges suos

(z) Medit. Concord. part. 3. præf. ad Aug. Cæs. & Princ.

(a) De Mundi Religionibus part. 13. fol. 510. & 513. edit. Dordr. an. 1662.

tuos octo bellis divexarent (b). Unice hæc subjungo Martini Becani verba (c), quæ Anglo Præconi Richardo Hareis objecit: *Nescis, qui in Gallia, initio turbarum, conspirarunt in necem Regis, & totius familie Regiæ? loquor de Ambianensi Hugonotarum conspiratione. Nescis, quinam Anno 1562. in æde S. Crucis Francisci II. Regis corpus flammis tradiderunt? Nescis, qui eodem anno Ludovici XI. Regis statuam ludificati sunt, & abscissis cruribus, brachiis, ac capite, reliquum truncum in cloacam abjecerunt? Interroga fratres tuos, & dicent tibi &c.* Quod autem nefanda adeo læsæ Majestatis crimina ex ipsa Calvinistarum doctrina profluxerint, ex ipsis Calvinii verbis in cap. 6. Danielis, necnon ex Davide Paræo in commentario in Epist. ad Rom. item ex Philippo Mornæo Plessiaco de licitis in Regem pro Calvinismo armis, aliisque manifestum fit. Nobis demonstrasse sufficiat, quod tam Lutheranae quam Calvinisticæ Sectæ conditio ob certi

c 5

ac

(b) Vide Epistolam Caroli IX. ad Papam Gregorium XIII anno 1572. scriptam, atque ab eisdem Legato Nicolao Rambolletto traditam. Item orat. ad Marci Antonii Mureti, & Gab. Barthol. Gramondi Historiam prostratæ a Lud. XIII. Sectariorum in Gallia rebellionis. Edit. Tolos. ann. 1623.

(c) Opuscul. tom. 4. op. 2. p. 1183.

ac infallibilis judicis defectum omnes fidei articulos, jura, ac humanæ vitæ officia prorsus dubia, ruinosæ, & incerta reddat, necnon eorum conservationem cujuslibet arbitrio, judicio, ac privato Spiritui relinquat: cum ergo ex hujus Sectæ doctrinis a cujusvis laici vel privati sententia dependeat, quamnam auctoritatem tanquam legitimam agnoscere, quam etiam Regiminis normam inter diversissimas hominum sententias juxta privatum suum judicium, sacrasque literas suo modo intellectas seligere velit, haud mirum est, quod tot seditionibus ac turbis invalescente Lutheri ac Calvinii Secta Principum Majestas fuerit concussa, ac plurima Regna innumeris calamitatibus tantopere oppressa, ut merito ausim dicere, quod supremæ Principum Majestati nihil magis sit perniciosum, quam ipsamet utriusque Novatoris doctrina.

Restat igitur, ut tertio loco Ecclesiam Catholicam vindicem ab atroci illa calumnia, qua præcipue Protestantes accusant summos Pontifices, atque Episcopos, quod profanæ potestatis jura imminuere, ac deprimere satagant. Equidem Lutherus, ut Principum animos sibi conciliaret, summosque Pontifices, totumque Ecclesiasticum Statum iisdem exosum redderet, ejusmodi convitia excogitare compellebatur. Hoc eti-

etiam artificio contra Catholicos jamjam in primitiva Ecclesia utebantur Pagani, qui eos *omnium scelerum reos, Deorum, Imperatorum, legumque inimicos* (d) proclamabant: quinimo idem, quod a Lutheranis Christi Vicarii tollerare debent, ipsemet Christus Dominus a Judæis pati cogebatur, dum adversus illum hanc calumniam proferrent: *Hunc invenimus prohibentem tributa dare Cæsari*, quamvis Christus divinus Magister noster Pharisæis, qui ei apud Cæsarem invidiam creare tentabant, disertis verbis præcepisset: *Reddite Deo, quæ Dei sunt, & Cæsari, quæ Cæsaris.*

Pari etiam sophismate ab invidia hominum deducto egregie Lutherus, ejusque Sectatores apud Principes contra summos Pontifices, atque Ecclesiæ Romanæ Episcopos pro inducenda ac propaganda Secta sua utebantur. Scripsit Joannes Clericus auctor Protestantibus hæud exosus singularem dissertationem (e) de argumento Theologi-

(d) Tertullianus in apologet. cap. 28. 30. & 31. Sueton. in vita Tiber. Claud. cap. 25 & in vita Neronis cap. 15. Cornel. Tacitus l. 15. Annal. cap. 41.

(e) In suis operibus Philosophicis pag. 234. p. 256. §. 19.

logico ab invidia ducto, ubi pag. 234. ita asserit. *Hoc argumentum est ratiocinatio fallax, quæ imperitos incendit in homines innocentes, qui eo ratiocinio exosi, ac eis invisi facti sunt. . . . Hominibus aut dolo malo uti consuetis, aut cæco affectu percitis, quando rationes non suppetunt, quibus adversarium vincant, illico eum odio Theologico mactandi occasionem quærunt, atque ante omnia, ne æquis auribus audiatur, infamiam ei quantam maximam possunt, inurunt.* Postea idem Scriptor sexdecim, quibus invidia innoxiiis creari solet, modos refert; postremum vero his verbis exponit: *Adversarii denique Magistratibus infamantur.*

Ex hoc venenato fonte Lutherus ejusque fautores invidiæ liquorem hauserunt, eundemque incautis Principibus contra Christi Vicarios, totumque Ecclesiasticum Ordinem eo facilius propinarunt, quo, ut inquit Clericus: *Nihil pronioribus animis excipitur ab iis, qui summiæ rerum præsumunt, quam quod facit ad amplificandam, tuendamque eorum auctoritatem, nullisque magis succensent, quam iis, qui vel minimum eam tentare accusantur.* Eapropter novi hi Evangelici cum suo Magistro ubique spargebant, quod Papæ atque Episcopi Principum potestati infidentur, eorumque supremam auctoritatem evertere ac deprimere moliantur, hostesque

que sint sæcularis jurisdictionis, læsæ Majestatis rei, Regicidæ, rebelles ac Tyranni: Romani Pontifices, convitiantur illi, sibi solis supremam in sacris simul & profanis rebus arrogare auctoritatem, ipsi soli Ecclesiasticis omnia munia & bona pro eorum arbitrio dispensant, ac civili Principum Majestati omnem potestatem eripiunt, tentantque omnes Cæsares, Reges, Principes ac Magistratus suis pedibus subjicere, atque in eos despoticum exercere imperium (f). Enimvero, prosequitur idem Scriptor, ejusmodi calumniis apte *movetur innocentibus invidia, dum infammantur quasi perturbatores publicæ tranquillitatis ii, qui tamen omnia Reipublicæ jura sancta atque inviolata esse volunt.*

Verum ad hasce calumnias solide confutandas sufficit ea proferre testimonia, quibus ipsimet summi Pontifices omni retro ætate ad hanc usque diem cunctis Principibus suam auctoritatem illæsam, tutam, atque inviolatam conservare satagunt, eamque ipsis a Deo datam agnoscunt, ac reverentur. Nonne Leo Magnus in sua epistola, 38. ad Martianum Græcorum Imperatorem palam profitetur, quod Cæsar ab ipso-

(f) Vide Confess. Aug. p. 2. art. 7.

ipsomet Deo ad Imperii sui dignitatem fuerit electus; nonne eadem rursus in epistola 43. ad eundem, atque ad ejusdem Successores Theodosium II. Martianum, & Leonem I. scribens repetiit? Quem latet, quod Felix III. Papa Zenoni Cæsari ob oculos posuerit, quod Ecclesiæ potestas ad conservandam Principum profanorum auctoritatem plurimum proficua sit: *Puto*, inquit Pontifex, *quod vobis sine ulla dubitatione sit utile, si Ecclesiam Catholicam vestri tempore Principatus sinatis uti legibus suis, nec libertati ejus quempiam permittatis obsistere, quæ Regni vobis restituit potestatem* (observandum enim est, quod Catholici tum Tyrannum Regnique usurpatorem Basiliscum, qui Zenonem in exilium depulerat, ad officium redegerint, atque Anno 477. Zenonem rursus solio restituerint) hinc proseguitur Papa: *Certum est, hoc rebus vestris esse salutare, ut cum de causis Dei agitur, juxta ipsius constitutum, regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeratis subdere, nos præferre, & sacrosancta per eorum Præsules discere potius quam docere.* Percipiamus quoque Gelasii I. sententiam de profana Principum Majestate, *duo sunt, ait ille (g) ad Anastasium I. Cæsarem, duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter Mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum,*

(g) Epist. 5.

tificum, & Regalis potestas, in quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus hominum, in ipso divino redditori sunt examine rationem. Adhuc clarius S. Gregorius Magnus supremam Principum potestatem profitetur in suo libro secundo Epistola 61. ad Mauritium Imperatorem his verbis: *Potestas super omnes homines Dominorum meorum pietati cœlitus data est super omnes homines*. Idem etiam Pontifex Maximus Constantiam Augustam ita alloquitur: *Vestra Pietas, quam omnipotens Deus cum serenissimo Domino (Mauritio) universo Mundo præesse constituit &c.* Præterea Gregorius II. utriusque potestatis tam sacræ quam profanæ jura volens omnino integra, atque illibata servari, ita ad Leonem Isauricum Cæsarem scripsit: *Ecclesiæ propositi sunt Pontifices, a Reipublicæ negotiis abstinentes: Imperatores ergo similiter ab Ecclesiasticis abstineant, & quæ sibi commissa sunt, capeant: in alia vero Epistola ad eundem hæc habet: Quemadmodum Pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet, ac dignitates regias deferendi, sic neque Imperator in Ecclesias introspiciendi & Electiones in Clero peragendi potestatem habet &c.* In rem nostram plurimum facit sententia Nicolai I., qui in sua Epist. 7. ad Michaelem Græcum Imperatorem ita pronuntiat: *Nolite præjudicium Dei Ecclesiæ irrogare; quippe nullum imperio vestro præjudicium*

dicium infert. . . . Idem Mediator Dei & hominum Homo Christus Jesus, sic adibus propriis & distinctis officia potestatis utriusque discrevit, ut & Christiani Imperatores pro vita æterna Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur, in Epistola ad Albinum Archiepiscopum ita scribit (h): *Sancta Dei Ecclesia gladium non habet, nisi spiritua-lem, non occidit, sed vivificat.* Quod autem Pontifices nullatenus profana Principum jura usurpare moliantur, testis est Alexander III. Papa, qui a Rhemensi Archiepiscopo interrogatus, an si a civili Judice ad Papam fuerit appellatum, hujusmodi appellatio teneat, respondit (i): *Tenet quidem in his, qui sunt nostræ temporali jurisdictioni subiecti, in aliis vero, etsi de consuetudine Ecclesiæ teneat, secundum juris rigorem credimus non tenere.* Rursus idem Pontifex decidit, quod Papa de civili causa inter Laicos non cognoscat; ait enim (k): *Nos attendentes, quod ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam de talibus possessionibus judicare, ne videamur Juri Regis Anglorum detrahere, qui ipsarum judicium ad se pertinere asserit, hinc mandamus &c.* Declarat etiam Innocentius III. quod Pontifex

(h) Causa XXXII. quæst. 2. c. 6.

(i) Cap. 7. de appellat.

(k) c. 7. Qui filii sint legitimi.

tifex solum in Patrimonio Ecclesiæ plenam habeat potestatem temporalem, non item vero in aliis Regionibus (1): *Rex enim superiorem in temporalibus minime recognoscit.* Quinimo quemdam Principem, qui aliis Regibus suberat, seque Pontificis jurisdictioni subdere tentabat, ita alloquitur: *Tu sine ipsorum injuria, nisi hi præstarent nobis assensum, in hoc subdere te nobis non posses &c.* Quis ignorat, quod olim Theodosius Imperator in quodam canone, qui incipit: *Quicumque litem*, summis Pontificibus atque Episcopis etiam profanas causas dijudicandi potestatem concesserit, atque eas æque ac Ecclesiasticas lites ad ipsorum forum pertinere declaraverit: quem autem itidem latet, quod Pontifices atque Antistites hanc legem ipsimet abrogarint, huncque favorem sibi metipsis duntaxat, *per viam correctionis fraternæ & admonitionis de officio suo* indulserint, prout Innocentius III. disertis verbis declaravit (m).

Huc quoque spectant honorifici Tituli, quibus Papæ ac Episcopi Cæsares Regesque decorarunt: Hadrianus Papa per suum Legatum ita alloquebatur Fridericum Imp. *Salutant vos Venerabiles Fratres nostri, Clerici*

(1) Cap. 13. tit. cit.

(m) Cap. *Novit* de Judiciis & cap. *per Venerabilem* Extra. Qui filii sint legitimi. Vide cap. *Nos si*, ll. q. 7.

ci autem vestri universi Cardinales tanquam Dominum & Imperatorem Urbis & Orbis. Bonifacius VIII. in publico Patrum Senatu vocabat Albertum I. Imp. Monarcham omnium Regum, & Principum terrenorum. Pius vero secundus anno 1460. ad Fridericum III. Imperatorem dixit: Tu nobis primus occurristi, cui omnes gentes parere & subesse non dedignantur. Vocavit quoque Anastasius Papa Anastasium Cæsarem præstantiam vestram, quam velut VICARIUM Deus præsidere iussit in terris. Denique similem honoris gradum Gregorius II. in Leone Isaurico, & Gregorius IX. in Friderico II. venerati sunt.

Quod hæc autem non modo summorum Pontificum vox sit, sed universalis Ecclesiæ Catholicæ doctrina, manifestum fit ex ipso Romano Catechismo sacri Concilii Tridentini, ac Pii V. jussu edito. Hic inter Patres, qui ex Juris divini præscripto honorandi ac timendi sunt, pariter collocat omnes, quibus aut Imperium aut Magistratus aut potestas commissa est, quique Rempublicam gubernant (n). Postea ad quæstionem: *Sitne & Magistratibus politicis honor deferendus?* respondet (o): *Quod modo de animarum pastoribus asseruimus, idem de Regibus, Principibus, Magistratibus, & reliquis, quorum potestati subijciuntur, dicendum est: quem enim eis cultum tribuimus, is ad Deum refertur; habet enim venerationem hominum excellens dignitatis gradus, quia*
divinæ

(n) Part. 3. c. 15. p. 558. (o) Loc. cit. p. 565.

divinæ potestatis est instar: Pariter eadem sacrosancta Synodus Sessione 25. cap. 20. in Decret. de Reform. Principes sæculares præcipue Catholicos agnoscit, ac veneratur tanquam tales, quos *Deus sanctæ fidei, Ecclesiæque Protectores esse voluit. . . . Propterea admonet Imperatorem, Reges, Republicas, & Principes, ut quo largius bonis temporalibus, atque in alios potestate sunt ornati, eo sanctius, quo Ecclesiastici Juris sunt, tanquam Dei præcepta, ejusque patrocinio tecta venerentur.* Hanc doctrinam de suprema Principum potestate universa Ecclesia Catholica tanquam fidei articulum unanimi consensu profitetur, ipsique summi Pontifices non solum corde & ore, sed etiam opere professi sunt; quantas enim expensas, ac crebra bella gesserunt contra rebelles, ac seditiosos, qui suis Principibus obedientiam denegarunt, eosque folio suo deturbare moliti sunt? quot Reges, atque utriusque sexus Principes a suis subditis præcipue Protestantibus Regno expulsi Romæ & alibi liberalissime, diuque & non sine immensis ferme sumptibus a summis Pontificibus fuerunt sustentati? Igitur summi Pontifices adeo non Principum potestatem deprimere machinantur, ut etiam nullo negotio ex Historiæ monumentis demonstrari posset, quod per ipsam Romanorum Pontificum auctoritatem, opem ac præsidium Principes Solii sui firmitatem obtinuerint, ac tamdiu illibatam conservarint, quamdiu Sedi Apostolicæ ac Romanæ Ecclesiæ addicti permanferunt,

quo autem unquam tempore frequentiores a udiebantur seditiones, tumultus ac bella civilia, quibus Principum auctoritas vehementer est concussa, nisi postquam Lutherus, Calvinus, atque alii ejusdem furfuris homines pernicioſa ſua ſparſerunt dogmata? Omnem itaque ſecuritatem iis, qui ſumma rerum potiuntur, pollicetur Religio Catholica, imo ipſorum etiam ſummorum Pontificum plurimum intereſt, ut brachium ſæculare tanquam proprium corporis eccleſiæ membrum protegant elevent, atque honorent; ſi quid enim patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, nec poteſt oculus dicere manui: opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarii, ut non ſit ſchiſma in corpore, ſed idipſum pro invicem ſollicita ſint membra I. ad Cor. c. 12. v. 21. & ſeq. Hanc ob rem ſummi Pontifices, quotieſcunque fidei veritas ac Religionis integritas, nec non Sedis Apoſtolicæ auctoritas a domeſticis vel exteris hoſtibus fuit impugnata, ſemper Principum auxilia ſummis precibus implorarunt (p). Unice igitur reſtat, ut depulſis Novatorum calumniis ad Principes Catholicos eadem dirigam verba, quibus Pius II. Carolum VII. Galliarum Regem admonuit: *Unum a te petimus, chariſſime Fili! ut Sedis Apoſtolicæ detractoribus ſemper non credas, multa illorum paſſionibus tribuens.*

CON-

(p) Vid. Pauli III. Bull. Indiæ. Conc. Trid.